1. Vorago est exhalatio sursum rapta, ibique lumine perfusa speciem voraginis referens. Eodem modo definiendus est hiatus & dolium.

2. Halo (*sive corona*) est circulus albus sub astro aliquo in nube seu vapore apparens.

3. Virgæ (*sive bacilli*) sunt phantasma speciem virgarum referentia.

4. Parelius solis imago in densâ nube.

5. Iris est arcus multicolor soli oppositus, in roridâ nube, ex radiorum solarium reflexione proveniens.

EX LIBRIS DE ANIMA.

Definitiones animæ.

1. Anima est actus primus corporis Organici potentiâ vitam habentis.

2. Anima est id, quo primum & vivimus, & sentimus, & ratiocinamur.

Definitio generationis propriæ viventibus.

Generatio est processio viventis à principio vitæ conjuncto, secundùm rationem similitudinis, saltem specie infimâ, ut, *generatio equi.*

Definitio perlucidi sive perspicui.

Perlucidum est, illud, quod sensum oculorum quidem movet, non tamen per se ac vi suâ eum movet, sed vi alieni coloris.

Definitio luminis.

Lumen est actus & perfectio rei perlucidæ, quâ ex parte perlucida est.

Definitiones coloris.

1. Color est id, quod vim habet movendi, quod reipsâ perlucidum est.

2. Co-

2. Color eſt extremitas rei perlucidæ in corpore certo & terminato.

Definitio ſoni.

Sonus eſt, cùm alicujus ex alio atque in alio actus elicitur.

Definitio Echus.

Echo eſt, cùm ab aëre, qui unus idemque manet, per vas, quod extremis partibus diſſipari ſonum prohibeat, rurſus ac quaſi pila repellitur.

Definitio vocis.

Vox eſt pulſus reſpirati aëris, qui ab eâ animâ, quæ in his partibus ineſt, ad arteriam efficitur.

Definitio odoris.

Odor eſt qualitas ex primarum commiſtione reſultans dominante ſicco & calido, atque olfactum movens.

Definitio ſaporis.

Sapor eſt affectio in humido aqueo, facta à ſicco terreſtri, & calore decoquente, guſtum, qui in potentiâ eſt, ad actum per alterationem deducens.

Diviſio ſenſibilium.

Senſibilium aliud proprium, aliud commune.

Senſibile proprium eſt, quod unico ſenſu exteriori percipitur, ut, *color*.

Senſibile commune eſt, quod pluribus ſenſibus exterioribus percipitur, ut, *motus*.

Senſibilia communia ab Ariſtotele quinque numerantur, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

FINIS.




Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black